



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Verbo Dei Libri Tres**

**Helm, Heinrich**

**Coloniae, 1560**

**VD16 H 1736**

Lex naturae quid sit, & quid boni operetur in mitibus & humilibus corde.  
Cap. VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30114**

Lex naturæ quid sit, & quid boni operetur in mitibus  
& humilibus corde. Cap. VII.

**D**E ista lege naturæ (quæ inflexibilis rectitudo est, à **A**  
Deo mentibus nostris impressa: ab æterna lege &  
veritate, quæ Deus est, exemplata) rursus aduertendū: quòd  
unicuique boni & mali distantiam ea lex dicat & ostendit.  
Vnde frater domini de ea dicit: In mansuetudine suscipi- *Iacob. 1.*  
te insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. In  
mansuetudine (ait) verbū hoc suscipite: nam in aqua mo-  
ta, intuentis facies nō respundet, sed in tranquilla & lim-  
pida. Sic iratus animus, excandescēs & furore percitus, quòd  
ratio dicat, quid Deo placeat, quid deceat & expediat, nō  
considerat nec cognoscit: maximè, si pulueribus aut im-  
munditijs peccatorum fuerit repletus, aut velamine mali-  
ciæ & nequitiae fuerit animæ oculus obtectus. Hoc ver-  
bum dicit Diuus Iacobus insitum, quia rationis hoc lu-  
men, quæ lex est ista naturalis, ab exordio plasmationis hu-  
manæ, nobis est datum à Deo, & in animam & vires eius  
impressum: sicut si similitudo & imago diuinæ veritatis &  
bonitatis, annulo insculpta, impressa sit ceræ liquefactæ:  
Vnde dicitur lumen vultus dei super nos signatum. *Psal. 4.*  
Ex eo lumine, vt prius dixi, ratio & intellectus habet co- **B**  
gnitionē veri, ac veri & falsi discretionē: Affectus & volun- *Eesai. 7.*  
tas, amorem boni, ac reprobationem mali, & electionem  
boni; Irascibilis, mali abominationem, detestationem &  
punitionem vel reprehensionem: Nam in promptu habet *2. Cor. 10.*  
vici omni inobedientiam: non solum in alijs, seu cō-  
missam ab alijs, sed etiam in seipso. Et omnis qui hoc mo- *Psal. 44.*  
do diligit iusticiam, & odit iniquitatem, declinans à ma- *Psal. 33.*  
lo & faciens bonum, in fide Iesu Christi & vera dilectio-  
ne, dubio procul, saluat animam suam, per legem istam im-  
pressam mentibus nostris. Hoc Esaias attestatur dicēs: Au- *Eesai. 51.*  
dite me, qui scitis iustum quid sit. Verum vnde hanc iusti-  
cia

**Pfal. 36.** **Eesai. 46.** **Ecci. 21.** **ciæ cognitionem habuerint, secutus explicat dicens: Lex mea, in corde eorum: Et iterum: Lex Dei eius in corde ipsius, Et iterum: Præuaricatores, redite ad cor, Et iterum: Qui timet Deum, reuertatur ad cor suum.**

**C** Hoc verbū audierunt, hanc legem fecerunt, in illo lumine ambulauerūt sancti qui deo placuerūt ab initio: nēpe, Abel innocens, Enoch qui ambulauit cū deo, Noe iustus, Melchisedec sacerdos dei sanctus, Abraham dei amicus, Isaac electus, Iacobus perfectus, Iob patiens, Naaman ad Deū conuersus, cū alijs, qui cōuersi sunt ab idolis vanis ad deum verū: Qui oēs per fidem vicerunt regna, operati sunt iusticiam quā lex ista docet, & adepti sunt repromissiones. Nam, accedentem ad deū, vt illuminetur per fidem & lumen gloriæ, credere oportet, quia est, & q̄ bonorum laborum remunerator est, **Hebr. 11.** Ista lex dicat, quod tibi nō vis fieri, alter ne feceris: Et, omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Ex illis duabus sententijs, dilectio dei oritur, & proximorum, in quibus duobus mandatis, tota lex pendet & propheta.

*Legem naturæ omnes habent. Cap. VIII.*

**A** Hanc legem naturæ, & lumē vultus dei super nos signatū, dum simplices filij dei & pusillus grex idiotæ, rustici, pastores animalium, & alij, labores manuum suarum manducantes in sudore vultus sui, sequuntur & faciunt sine defectione, quamuis literaturam non didicerint per studij exercitium, nec literas cognoscant: Nihilominus per exercitium virtutum continuum, orationum instantiam, vnctionem quam habent à sancto spiritu, & cordis munditiam, super senes & omnes prudentes secundum carnem, intelligunt quæ sit voluntas dei bona, beneplacens & perfecta. Et in prudentia spiritus & iustorum (quæ est vita euangelica, virtutum studiosa & Christiformis,

**Gene. 3.**

**1. Ioan. 2.**

**Pfal. 118.**